

*Bose Vol. IV. N° 12*

# EPINICION

in

LANDAVIAM ITERVM EXPVGNATAM,

quod

*SERENISSIMO AC POTENTISSIMO*

# IOSEPHO,

# AVGVSTOROMANORVM

# PANNONVMQVE

# REGI,

*VICTORI FORTISSIMO FELICISSIMO,*

*summa pietate consecravit*

# NVMINI AC MAIESTATI IPSIVS

*devotissimus*

## MAGNVS DANIEL OMEIS,

*Comes Palat. Cæsar. ut & Moralium, Oratoriæ ac Poëtices;*  
*in Vniversitate Nor. Altorfina Prof. Publ.*

*Mense Decembr. Anni vergentis,*

quo, post Landaviæ Recuperationem, Summi  
Fœderati plaudunt:

## BIS IAM CESSIT LEOPOLDO ET IOSEPHO!

*Eademq;*

## INTERRITA POSTHAC CEDET NEMINI.

**Hist. Germ.**

**D.**

*218, 73 f.*



Nvenit spes nostra viam. Landavia rursus  
Gallorum crepta est armipotente iugo!  
Salve Progenies Cœli, IOSEPHE, sereni,  
quem Proavis æquant fortia facta Diis;  
Orbis delictum, patriæque extrema timentis  
fulcrum, & tam dubio tempore certa salus!

REX, quem sublimem, statuas super atque tropæa,  
in cœlum niveis Gloria tollit equis!

Victor ad arma venis; nec bellas, quin Tibi lætis  
certior auspiciis ante triumphus eat.

Hoc ipsum bis victa satis *Landavia* monstrat:  
& pugnare Tibi & vincere semper idem.

Hic, IOSEPHE, novis veteres successibus augens;  
exsuperasti armis vota fidemque *tuam*

Ad solum Nomen venientis palluit hostis,  
questibus & murmur miscuit: Ipse redit!

Ipse redit; dira nos obsidione prememur.

Cedimus, ac nosmet dedimus? Ipse redit.

Nec mora. Vix aderas, Tibi plaudunt ære cohortes,  
certantesque *Timor*, nec minus urget *Amor*.

Ad tua iussa animos miles parat; & satis una est  
vox ad mandatum, nutus ad imperium.

His adhibes frænos, illis calcaria; lassos  
sæpius imbre rigas Iupiter aurifluo.

Mox, velut iratus quando Rex Æolus Austros  
luctantes vinclis carceribusque levat;

hi ruptis antris, quæ fors dedit obvia, sternunt,  
grandini & admisti vi crepitante fremunt:

Sic

Sic Alemannorum turmæ, REX magnæ, tuorum;  
ac sociæ, celeres, Te monitore, ruunt;  
impugnant valla & moles: non saxa retardant,  
non tela aut flammæ, sulphureique globi.  
Instant, conflagunt; cunctos juvat ire, perire,  
vitam IOSEPHUS dummodo Victor agat.  
Tandem (si fas est virtutem & in hoste probare)  
post validas vires viribus oppositas,  
strata cadit, quassasque aperit Landavia portas;  
ac, IOSEPHE, iterum dat Tibi victa manus:  
Dat Tibi victa manus, victricique oscula dextræ  
curvatis genibus figit anhela tuæ:  
quin gestit se læta capi; Dominique prioris  
sub scuto blandas spes animosa capit.  
Tegmine nec galli, qui turbat somnia cantu,  
verum Aquilæ pennis tecta cubare cupit.  
Nunc & iô Pæan! plaudunt uno ore Britanni,  
Germani & Batavi, Lætitiæque litant.  
Jam signis assueta tuis Victoria laurum  
portat, & augustis ingerit ipsa comis.  
O nos felices, queis Te, fortissime Regum,  
palmiferasque manus cernere & ora licet!  
Talis Alexander, cum debellare Darium  
coepit, acremque Tyrum sub iuga traxit, erat.  
Talis Avus, IOSEPHE, tuus, capta Ratepona,  
cumque ad Nordlingam Victor ovarer, erat,  
Spectate e cælo *Caroli*, magnique *Rudolphi*,  
(quæcunque ætheræ Vos tenet ora plagæ)  
*Alberti*, *Friderici*, æternaque *Ferdinandi*  
Nomina, in Austriacum Nomina nata decus!  
Spectate e cælo, tanto exultate Nepote,  
qui, qua venistis, tendit ad astra via.

Sed

Sed ferò huc redeat ! Patriis virtutibus orbem,  
 Arte & Marte potens, impleat Ille prius:  
 hostesque Imperii tumidos, tumidosque rebelles  
 contundens redigat Victor ad obsequium;  
 & CAROLO cum Fratre, viam ultra solis & anni,  
 Austriacos titulos imperiumque ferat.  
 Nunc vero, IOSEPHE, redi, REX magne, Viennam,  
 quò Tua TE virtus atque tropæa vocant;  
 I felix, Summique PATRIS Te infunde lacertis,  
 sparge & lætitiæ semina ubique novæ!  
 Vlnas lacteolas expandit AMALIA, gaudens  
 oscula per longas jungere pressa moras.  
 Ne pudeat Bellonæ interrupisse labores,  
 atque armis tenuem constituisse moram!  
 Fertur & interdum sævus, post prælia, Mavors  
 fessa per Odryfias fundere membra nives,  
 oblitusque sui, pugnacem pectoris æstum  
 in molli Veneris pacificare sinu.  
~~Stet fecunda DOMUS, fatiis quæ terminat astris:~~  
 nec nisi cum mundi concidat interitu!

### *Landavia loquitur:*

Ludo vices, veluti *Ludovicus*; surgo cadoque;  
 sum pila fortunæ & Martis arena frequens.  
 HAEC NVLLI CEDET! scripsit Vaubanius. Atqui  
 spes vana & fallax hoc fuit augurium.  
 A.1702. Nam primùm cessi IOSEPHI ingentibus ausis;  
 A.1703. post annum Gallis cedere iussu retro.  
 A.1704. Nunc iterum cessi IOSEPHO & Fœdere junctis,  
 IOSEPHO, in cuius tuta jacebo sinu.  
 Ter cessisse, satis. Posthac invicta supersum!  
 nam pudor est Marti succubuisse quater.

